

La grammatica di Servio. Prime esplorazioni

VIII 001 VT BELLI SIGNUM LAURENTI TURNUS AB ARCE EXTULIT. Apud maiores nostros **tria erant militiae genera** in bellis gerendis. **Nam aut** legitima erat militia **aut** coniuratio **aut** euocatio. Legitima erat militia **eorum, qui** singuli **iurabant** pro republica se esse facturos, **nec discedebant** nisi **completis stipendiis, id est** militiae temporibus: **et sacramentum uocabatur. Aut** certe **si esset tumultus, id est** bellum Italicum uel Gallicum, in quibus ex periculi uicinitate erat timor multus, **quia** singulos interrogare non uacabat, qui fuerat ducturus exercitum ibat ad Capitolium et exinde **proferens** duo uexilla, **unum** russeum, quod pedites euocabat, **et unum** caeruleum, quod erat equitum - **nam** caeruleus color maris est, a cuius deo equum constat inuentum – dicebat: 'Qui rem publicam saluam esse uult, me sequatur', et qui conuenissent simul iurabant. **Et dicebatur ista militia coniuratio. Fiebat etiam euocatio: nam** ad diuersa loca diuersi propter cogendos mittebantur exercitus. Modo **ergo** duo sunt genera militiae, coniuratio et euocatio, **quippe** in tumultu. **Sane** incongruum non est quod signum belli, **id est** uexilli eleuationem Turno dat, **quia** de rege Latino dixerat supra "rerumque reliquit habenas". 'Belli' autem 'signum' generaliter dixit, **nam** multa sunt: sed uexillum significat, **quod** est tractum a ueli diminutione, ut 'uelum uexillum'.

VIII 678 HINC AUGUSTUS AGENS ITALOS. Cum de statu reipublicae esset longa contentio inter Augustum, Antonium et Lepidum, placuit ut totum Orientem teneret Antonius, Augustus Gallias et Hispanias cum Italia, Lepidus Africam Siciliam Sardiniam. **Ad causam maioris fidei** Antonius sororem Augusti duxit uxorem. Profecti itaque sunt in prouincias suas. Sed Antonius in Aegypto captus est amore Cleopatrae, non usque quaque adeo, ut **ea dimissa** contra Parthos proficisceretur. **Quibus uictis** dum Cleopatrae cupiditate festinat, exercitum omnem frigore in Armenia perdidit, ipse tamen animalium cadaueribus **pastus** cum paucis ad Aegyptum est reuersus, ubi ei coepit suadere Cleopatra ut se sortiretur uxorem, **derelicta sorore Augusti**. Quo facto Augustus uehementer **accensus** contra eum coepit bella moliri. Antonius **re comperta, collectis Orientis uiribus**, prior cum uxore Cleopatra uenit ad bellum. Conflictum est nauali certamine circa Actium Epiri promunturium: ubi uicti sunt Antonius et Cleopatra et in fugam coacti. Postea **occiso Antonio** illa sibi serpentes adhibuit.

VIII 276 HERCULEA POPULUS. Herculi consecrata. Qui **cum** ad inferos **descendens fatigaretur** labore, dicitur **de hac arbore corona facta** caput uelasse: **unde** foliorum **pars** temporibus **cohaerens** et capiti albuo sudore, **pars uero** exterior propter inferorum colorem nigra permansit.

VIII 275 COMMUNEMQUE VOCATE DEUM. **Aut quia Arguius est Hercules** et supra dixit Aeneas tam Graecos quam Troianos de uno sanguinis fonte descendere: **aut** communem deum dixit utriusque naturae medium, **id est** inter mortalitatem et diuinitatem. Sunt **enim** numina **aliqua tantum** caelestia, **aliqua tantum** terrestria, **aliqua** media: quos deos Apuleius medioximos uocat, hoc est qui ex hominibus dii fiunt. **Alii** communem deum **ideo** dictum uolunt, **quia** secundum pontificalem ritum idem est Hercules, qui et Mars: **nam et** stellam unam habere dicuntur, **et** nouimus Martem communem dici.

VII 157 HESIONAE VISENTEM REGNA SORORIS. Vt diximus supra Hercules **euersa Troia** Hesionam, Laomedontis filiam, Telamoni suo comiti dedit, **ex qua** natus est Teucer. Priamus postea **cum** Salamina **tenderet ad uisendum regnum** sororis, per Arcadium iter fecit, **et tunc** ab Euandro est susceptus Anchises.

VIII 319 AB AETHERIO VENIT SATURNUS OLYMPO. Hoc dicit secundum poeticum morem. **Nam** Saturnus rex fuit Cretae, **quem** Iuppiter filius bello pepulit. Hic **fugiens** ab Iano est susceptus, **qui** regnabat in Italia. Quem **cum docuisset** usum uinearum et falcis, in partem est admissus imperii et sibi oppidum fecit. Postea suum repetiuit imperium.